

luptas in eius locum succedit. Dolorem itaque et voluptatem differre a bono et malo necesse est; et gaudere, seu sensu iucundo affici, aliud est, quam esse beatum. Quod perspicitur et inde, quod dolores et voluptates simul desinunt, cum qui sitiens bibit, sitim et voluptatem e bibendo perceptam simul amittit; bona autem et mala amitti simul nequeunt, sed alterum in alterius semper locum succedit. His addendum et hoc: boni bonorum possessione sunt boni, mali contra malorum; boni autem sunt prudentes, fortes, horumque similes, mali contra stulti, timidi, alique huiusmodi. Iam boni malique eodem fere modo gaudent dolentque; sunt enim et sua malis gaudia: ergo boni malique eodem fere modo sunt boni et mali, siquidem eadem re, gaudio nempe ac dolore, boni malique redduntur; nullumque adeo bonos inter et malos discrimen restat; quin mali ipsi boni repente euadunt.

Haec omnia recte sequuntur, si quis omne iucundum dicat etiam bonum, nec inter voluptates aliquod admittat discrimen; idque animaduertens Callicles, emendare sententiam, adiecto, voluptates non esse omnes easdem, sed meliores alias, alias deteriores, studet. Hinc statim has elicit conclusiones Socrates; sunt ergo voluptatum aliae bonae, aliae contra malae; bonae etiam sunt utiles, malae vero nociuae; quae utiles sunt, boni, quae nociuae, mali quid efficiunt; harumque illae sumendae, hae autem sunt reiiciendae; quo fit, ut iucunda bonorum tantum causa sint eligenda ac facienda, non autem bona voluptatis gratia, bonumque a iucundo vehementer differat. Ad redarguendam Calliclis quidem sententiam haec sufficiunt; ad rem autem ipsam declarandam, minime: supra namque Plato ipse, quod  
gra